



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiārvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De generali regula eorum quæ ad se & eorum quæ relatiuè dicuntur. G

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

eadem proprietate siue notione dicitur verbū & imago qua filius: sed non eo quo verbum, dicitur sapientia vel essentia, quia non notione qua dicitur verbum, dicitur sapientia. Nam sapientia dicitur secundū essentiā, nō secundum relationem Generalis regula eorum quæ ad se, & eorum quæ relativè dicuntur: Quicquid enim ad se, simul ambo dicuntur: sed non ita in prædictis relatiuis.

Cap. 2. statim post principium.

EST & hic aduertenda quædam generalis regula eorum quæ ad se, & eorum quæ relativè dicuntur de patre & filio. Quicquid n. ad se dicuntur, vt ait August. in sexto lib. de Trin. non dicitur alter sine altero, id est, quicquid dicuntur quod substantiam eorum ostendat, ambo simul dicuntur. Ergo nec pater est Deus sine filio, nec filius sine patre, sed ambo simul Deus: sed non ambo simul pater, nō ambo simul filius, vel verbum, vel imago. An secundum substantiam dicatur Deus de Deo, & huiusmodi.

Hic quæricur cum dicitur, Deus de Deo, lumen de lumine, & huiusmodi, vtrum dicantur secundum substantiam. nam secundum relationem constat ista non dici. Si vero secundum substantiam dicuntur simul ambo, scil. pater & filius, possunt dici Deus de Deo, lumen de lumine, secundum predictam regulam. Ad quod dicimus, quia licet De secundum substantiam dicitur & lumen, & sapientia, & huiusmodi, & nunquam relativè accipiuntur: aliquando tamē pro relativis, i. pro personis, sed non relativis, accipiuntur: vt cum dicitur. De⁹ genuit Deum, alterum pro patre, alterū pro filio ponim⁹: similiter cū dicitur, Deus de Deo, lumen de lumine. In aliis quoque locutionibus sæpe reperiuntur nomina essentiæ ad significationē personarum deducta: vt cū dicitur, De⁹ nat⁹, De⁹ mortuus, Deus passus, ubi filius tantū significatur. Ita & de